Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26351
Copyright: Admont, Benediktinerstift

dicta cum ab ea antea diceret. Hic tercio et vicesimo imperii anno · etatis lxx · viii · [illegible] cum inmani furore insontes noxios suos pariter externos puniret. resolutus militie artibus armeniam per parthos. mesia a dacis. pannonia a sarmatis. gallia a finitimis gentibus direpte sunt. ipse ingenti omnium gaudio mortuus est in campania. Huius imperii xv anno dominus ihesus christus predicationis sue sumpsit initium. Octavo quoque et decimo eiusdem anno ihesus christus filius dei dominus noster pro nobis sese morti offerens crucifixus est. Successit tyberio gaius cesar cognomento calicula drusi privigni augusti et ipsius tyberii nepos sceleratissimus qui etiam tyberii dedecora purgaverit.

Bellum contra germanos suscepit et ingressus sueviam nil strenue fecit. stupra sororibus intulit. ex una etiam natam filiam cognovit. Cum adversus cunctos ingenti avaricia libidinum crudelitate seviret. interfectus in palatio est anno etatis sue xxx viiii imperii iii mense x dieque viii.

Post hunc claudius fuit patruus caliculę drusi filius qui apud magontiacum monumentum habet.